

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Herodes, qui & Agrippas nominabatur, post Apostolorum  
persequutionem, diuinam statim vltionem expertus est. Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII HISTORIAE

Quomodo Herodes, qui & Agrippas nominabatur, post  
Apostolorum persequutionem, diuinam  
statim vltionem expertus est.

C A P. I X.

**H**Vius quidem vindicandi conatus, tam nefarie contra Apostolos à rege Herode intentati, non magna intercessit dilatio: imò vero statim post insidias Apostolis collocatas, ubi Cæsaream (sicut scriptura in Actis Apostolorum refert) aduentauerat, & die festo illic magna cum pompa celebrato, erat splendida ac regia ueste indutus, & pro tribunali apud populum è sublimi loco orationem habuerat, vltio diuina supplicij cœlitus inflicti ministra illum de improviso oppressit. Nam cum vniuersus populus concionem eius mire collaudasset, & ei tanquam Dei voci non hominis magnopere applausif set, scriptura narrat illum ab angelo Domini extemplo perculsum fuisse: vermbusque corrosum & penitus contabefactum animam efflasse. Illud etiam merito nonnihil habet admirationis, Iosephi narrationem de hoc incredibili Herodis occasu institutam, tantopere cum sacris literis consentire. Quam dum citat in decimonono Antiquitatis libro, videtur testimonium veritati perspicue perhibere, in quo his fere verbis miraculum explicat.

Cum tertius iam annus illi regnum totius Iudææ occupanti esset completus, in urbem Cæsaream, quæ anteā fuit Strationis Turris appellata, recta se cōtulit. Ibi quodam die festo, quem pro salute & incolumitate Cæsaris, celebrari cognouerat, spectacula ad Cæsaris honoré populo palam exhibuit. Ad quod quidem festum, frequens hominū multitudo, qui magistratus gerebat in prouincia, quiq; honoris amplitudine præ cœteris præstare videbantur, confluxit. Secundo vero spectaculorum die, ille uestitu argenteo indutus (cuius vniuersa textura insignis erat & plane admirabilis) primo mane ad theatru perrexit. Ibi eius uestis argento obricens, micantibus solis orientis radijs collustrata, adeo mirandum in modum resplenduit, eiusq; fulgore tantum his, qui in illum acriter oculos intendebant, incusit terroris, ut prope attoniti

, toniti exhorrescerent. Extemplo verò ascentatores, vo-  
, ces quasdam, aliis aliunde, non ad illius commodum, sed  
, ad perniciem potius blande fundere, Deum nuncupare,  
, quin etiam ut illis esset propicius acclamere cœperunt,  
, quamuis, inquit, hactenus te simus ut hominem reue-  
, riti, tamen deinceps præstantiorem quandam, quam cui  
, mortal is & caduca natura conueniat, ex animo confite-  
, mur. Rex autem istos neutquam coarguit, neque impias  
, & nefarias adulatorum repressit blanditias. Itaque pau-  
, lo post oculis in sublime sublatis angelum capit i insiden-  
, tem animaduertit: & quem antea bonorū, eundem mox  
, malorum sensit authorem. Inde acerbus dolor eius cor-  
, di inuritur, crebraque ventris tormenta iam ab initio a-  
, spere hominem pungentia exedunt. Qui tandem oculos  
, in amicos coniiciens, ecce me, inquit, qui Deus vobis vi-  
, deor. Nunc finem viuendi facere cogor necessariò.  
, Iamiam enim fatalis & diuina vis voces ementitas, & fal-  
, so de me dudum prædicatas non immerito coarguit.  
, Qui dudum immortalis erā à vobis appellatus, iam quasi  
, ad mortem trusus, animo inuito gradior. Verum fati te-  
, la ferenda sunt, quatenus diuino numini visum sit. Ete-  
, nim non sordide aut abiecte, sed amplio illo honorum &  
, dignitatis gradu, quem homines beatum putant, deco-  
, rati, totum vitæ nostræ cursum confecimus. Hæc fatus,  
, graui doloris quasi cumulo pressus clanguit. Igitur in  
, regiam cum summa celeritate deportatur. Ac iam ru-  
, mor per omnium ora peruolitabat, mortem paulo post  
, illum occupaturam. virorum igitur multitudo confe-  
, stim cum vxoribus & liberis sacco, & cilicio de more pa-  
, trio operta, supplex cum lachrymis Deum pro rege ob-  
, secravit: omnia mcerore & lugubri fletu redundarunt.  
, Rex verò in solario quodam edito decumbens, cum il-  
, los suis lumiñibus demissis pronos humi se abiecisse  
, cerneret, ipse lachrymas nullo modo tenerē potuit.  
, Et vbi iam quinque dies continuos, ventris dolore &  
, cruciatu afflictatus, & fere confectus fuerat, vitam tan-  
, dem, quartum & quinquagesimum annum ætatis suæ a-  
, gens, regni autem septimum, misere reliquit. Quatuor  
, quidem annos sub Caij imperio regnauit: quorum tres

D 3      in Phi-

## EVSEBII HISTORIAE

In Philippi tetrachia gerenda contriuit, quarto autem anno locum etiam Herodis Iunioris asseditus est, postea vero triennij spatium, Claudio imperium gubernante, ad regnum adiecit. Ista Iosephum cum alijs ab eo explicatis adeo apposite ad sacrarum literarum veritatem enarrantem cum primis admiror. Et quanquam de regis nomine quibusdam videtur à scriptura sacra dissidere, tamē tempus & res gesta eundem fuisse declarant & vel scribarum errore nomine esse immutatum, vel geminam eidem ut multis alijs impositam appellationem.

*De Theudo prestigiatore, & suis complicibus.*

CAP. X.

**Aff. 5.** **Q**uoniam Lucas etiā in Actis, cum de Apostolorum rebus gestis differit. Gamaliel inducit memorantem, Theudam tempore Claudi, quem supra demostriauimus, surrexisse dicentem se esse aliquem qui occisus est, & omnes qui credebant ei dissipati sunt, de isto etiam Iosephi testimonium in medio ponamus, qui in vigesimo libro operis sui quod paulo ante citauimus, hæc quæ sequuntur narrat. Cum Fadus Iudeæ prefecturam gereret, prestigiator quidam vafer, Theudas nomine, ingeniti hominum multitudini persuasit, ut suis secum compotatis facultatibus ipsum ad Iordanem fluuium sequentur. Prophetam enim se dixit esse, & fluuium mandato suo posse dispertere, transflutumque illis prestatare perfacilem. Hæc elocutus multos illexit in fraudem. Verum Fadus eos ex ista amentia & temeritate non multum voluptatis capere passus est, sed multitudinem equitum contra illos misit armis instructam, quæ quidem irruptione facta eos adoritur ex insperato, complures interficit, nonnullos viuos capit: ipsi denique Theude, cum milites eum præhensissent, superstiti caput absindunt, secumque deferunt Hierosolymam.

**Iose. 20.  
li. antiqu.  
cap. 2.**

De